



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

23. Cap. Quam temerè agant, qui consanguineos ditare student.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

Nunquid præstat patrimonij partem etiam maximam deesse hæredibus tuis, quam salutis tuæ vel minimam particulam?

Multum hæredibus relinquit, qui optima, præstantissimaque variarum virtutum illis relinquit exempla.

CAPVT XXIII.

Quam temerè agant, qui consanguineos ditare student.

Quisquis locupletare consanguineos nititur, is & animæ & corpori non parum nocet. etenim bonorum suorum sibi subtrahit fructum, ut illum in alios tranferat.

Tantundem agit ac si diceret: Filij mei, consobrini, ceterique hæredes, possem opibus meis honorificè vivere, nec non opiparè lautèque me tractare, possem & egenos liberali recreare eleëmofynâ, divinumque promovere cultum, possem item omnes, quas peccando commerui, pœnas redimere, atque ità evadere acerbissimos piacularium flammarum cruciatus: in potestate etiam meâ est coronæ, quam in cœlis exspecto, maximum in omnem æternitatem addere decus atque incrementum; sed nihil horum meditor.

D

Vos

Vos mihi me ipso cariores estis, vobis nostra fervantur bona. Illorum usu si lubet corpori indulgere, victum subministrare pauperibus, procurare divini cultus augmentum, effugere post hanc vitæ piaculares flammæ; si lubet ad coronam vestram magnum adjicere meritorum cumulum, per me licet; de me nolo esse sollicitus.

Quæ dementia major reperiri potest quàm sic loqui? amor rectè ordinatus se ipso incipit.

Ama, non obsisto, ama filios tuos & consanguineos, sed tamen secundo à gradu; ità illos dilige, ne te odisse videaris; inconsultus namque & stultus amor est, aliorum esse memorem, in memorem sui; opibus suis exiguum alijs commodum sibi creare incommodum longè gravissimum; alijs præparare beatitudinem, sibi afflictionem; alijs gaudia, sibi lachrymas; alijs voluptatem brevem, sibi voraginem perennem; alios modico tempore divites se in multos annos, vel aternum reddere pauperem.

Liberi & consanguinei tui, quos amplius locupletaveris opibus, ab inferorum incendijs te vindicare haudquaquam poterunt; nam, ut rectè *Salvianus*

(a) *Flammæ*

(a) *Flamma infelicitum mortuorum divitijs non refrigerantur heredum.*

O quantò magis sapiunt, sibi que melius consulunt, qui hæredes suos, ne interdum otio diffuant, suarum etiam rerum satagere aliquantulum sinunt, & proprias interea noxas liberalibus eleemosynis delere student.

Præstat temporalibus bonis aliquid decrescere, quam animam æternum perire.

Satiùs etiam est, illa, quæ aliquandò peritura sunt, ultrò derelinquere, quàm Dei facere jacturam, cujus causâ quævis etiam pretiosissima lubenti atque hilari animo repudianda sunt.

Quare, si benè tibi prospectum cupis, cura etiam atque etiam, ut æterna evadas incendia, tuisque divitijs tibi compares calum quocunque pretio pretiosius.

CAPVT XXIIII.

De amore solitudinis & vitijs in conversatione:

SI funditùs posses comprehendere, quid à Deo paratum sit homini sincerè amanti solitudinem, libens cubiculo tuo includeres, licèt illud vermibus scateret & anguibus.

Cave,

(a) *Ad Eccl. cath.*

D 2